

ei. Prima petitur ex summa Dei simplicitate. Singularitas est de essentia, seu natura Dei; atqui enti essentialiter singulari repugnat esse multiplex: ergo. Minor patet, quia singularitas est multiplicabilis: alioquin, si esset multiplicabilis, foret communis multis, & jam non singularis. Sic, si singularitas seu hæcitas, qua Sortes est hic homo, foret de essentia naturæ humanæ, sicut rationalitas, esset unicus homo in mundo. Prob. Maj. Per id Deus est singularis, seu hic Deus, per quod est Deus; atqui essentialiter est Deus: ergo essentialiter est hic Deus; seu singularitas est de ejus essentia. Prob. Major; quia, si per aliud esset Deus, & per aliud hic Deus, natura divina deberet contrahi per hæcitatatem, seu differentiam individualem, sicut esset in Deo quadam compositio, & non summa simplicitas: ergo.

Si dicas: natura Angelica est essentialiter singularis secundum Thomistas, & tamen sunt plures Angeli, saltem specie: ergo hæc D. Thomæ ratio inefficax est. (Ibid.)

R. N. Consequ. Hæc est enim disparitas inter Deum, & Angelos, quod natura Angelica, licet specificè sumpta, sit essentialiter singularis, quia caret principio multiplicationis numerice, scilicet materia, & ideo non possunt esse plures numero Angeli in eadem specie; attamen genericè sumpta non est essentialiter determinata ad unam speciem, unde possunt esse plures species Angelorum, at in Deo non datur neque genus neque species, sed est ex omni parte simplicissimus, & summè singularis; unde neque quoad speciem, neque quoad numerum potest multiplicari.

Secunda ratio petitur ex infinita Dei perfectione. Deus est ens infinite perfectum; atqui non possunt esse duo, vel plura entia infinite perfecta: ergo. Prob. Minor. Si essent duo entia infinite perfecta, oporteret ea inter se differre; illud autem quod differret, esset vel imperfectio; & hoc dici non potest, quia ens infinite perfectum nullam admittit imperfectiorem: vel esset perfectio; neque id dici potest, alias unum deberet perfectio, quam alter haberet, sicut istud primum non esset infinite perfectum: ergo. Huic affinis est hæc altera Ratio: Deus est summum ens; summum bonum; atqui quod est summum, nec majus nec par habet, alias non foret summum: ergo unum. (Ibid.)

Tertia ratio petitur ex unitate, & ordine Universi. Nominè Dei intelligimus supremum mundi rectorem, & gubernatorem; atqui unicus est mundi Governator: ergo unicus Deus. Prob. Minor: diversa & inæqualia mundi entia, alia superiora, alia inferiora, ita ordinata sunt, ut alia aliis firma lege deserviant, & coordinentur; atqui sic in unum ordinem convenire non possunt, nisi ab uno ordinentur, quia per se unum unum est causa, & multa non sunt causa unius nisi per accidens; in quantum scilicet sunt aliquo modo unum. (Ibid.)

Instauratur magis hæc ratio. Si essent duo, vel plures dii vel unus sufficeret ad gubernationem totius Universi, ita ut idem omnino, & omni modo faceret quod alter; vel non sufficeret, sed alterius ope indigeret, ita quod unus aliquid, aut aliquo modo, & alter aliud aut alio modo faceret. Si primum: ergo istre alter est superfluum; nihil est autem absurdius, quam ponere Deum superfluum. Si secundum: ergo neuter est Deus, quia neuter omnipotens, neuter factor omnium; & ordinatio rerum, quæ est perfectissimum in toto Universo, est effectus per accidens, scilicet a pluribus causis fortuito in unum concurrentibus.

Item vel unus conveniret necessario cum alio in regimine Universi, ita ut ab alio dissentire non posset, vel esset liber, & posset ab illo dissentire. Si primum: ergo non est Deus utpote dependens ab altero, & illi subiectus. Si secundum: casu quo dissentiret, & alio modo de rebus Universi vellet disponere; aut unus in hoc bello prævaleret, & omnes creaturas sibi subiceret, & sic alter inbellis, & victus non esset Deus: aut neuter prævaleret, sed quisque sibi certam portionem creaturarum subiceret; & sic neuter esset Deus, quia neuter esset omnipotens, neuter sibi subiceret omnes creaturas, atque ordo Universi dissolveretur: ergo manifestè necesse est ponere unicum mundi Governatorem. Quod autem posset obijci de tribus personis divinis, non obstat, quia per unam, & eandem naturam, unam voluntatem, unam & eandem omnipotentiam gubernant.

Dices 1. In scripturis multi appellantur dii. Ps. 81. Ego dixi: dii estis, & filii excelsum. Ibid. Deus stetit in synagoga deorum. Exod. 7. dixit Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis. 1. Cor. 8. Sunt qui dicuntur dii sive in celo, sive in terra. (Si quidem sint dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus est Deus: ergo.

R. cum Catechismo Rom. part. 1. n. 9. Quod sacra Littera Prophetas, & Judices deos appellavit, non Gentium more factum est, quo sibi plures deos stultè, & impiè fixerunt; sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam virtutem, vel functionem, quæ Dei munere illis concessa est. Sic dii appellantur Prophete propter revelationem futurorum illis factam; Judices propter auctoritatem vitæ, & necis illis concessam: Justi propter inhabitantem Spiritum sanctum: & sic de cæteris. (Ibid. ad 1.) Quantum ad Apostolum, dum dicit, si quidem sint dii multi, non loquitur ex propria sententia, sed juxta sententiam, & errorem eorum, qui ponebant plures deos, ut patet ex verbis subjunctis; quasi diceret: sunt quidem juxta Gentes errantes dii multi, nobis autem per Christum illuminatis unus est Deus.

Dices 2. S. Basilium Epist. 147. negat esse unum numero: ergo.

R. cum Sylvio, S. Basilium hoc non negare, quasi velit esse plures deos, hanc enim a se propulsat calumniam Epist. 80. Tres deos, inquit, prædicari a nobis causantur, istoque figmento multorum aures circumsonant; nec cessant donec hanc calumniam credibilem faciant. Sed unum accipit pro eo, quod non est simplex, sed constat partibus, quæ numerari possunt: dicit enim ibidem, quidquid numero dicitur unum, unum reverè aut simplex natura non est, Deum autem simplicem & incompositum confitentur omnes; non est itaque Deus numero unus. Negat ergo, Deum esse numero unum, quasi constaret partibus, quæ numerari possint, aut sit divisibilis in plura singularia; quamvis sit unus exclusivè; hoc est, sic unus, ut non plures.

Dices 3. Multa in Historiis leguntur miracula a diis Gentium perpetrata; multa futura præannuntia, multi morbi, qui videbantur insanabiles, sanati, &c. ergo.

R. Hæc ut plurimum esse ficta; & si quædam ex parte sint vera, adscribenda sunt industria, & perspicacia demonum; hi enim ingenio acutissimo præditi longè melius, quam nos ex circumstantiis presentibus, quæ futura sunt, conjecturaliter noscere possunt; & cum rerum naturalium virtutem apprime calleant, eam variis applicando videntur patrare miracula, dum non nisi effectus merè naturales edunt.

DISSERTATIO IV.

DE COGNOSCIBILITATE, ET DIVISIONE DEI A NOBIS; NECNON de ejus nominibus.

D. Thom. Quest. 12. & 13.

Insuperioribus consideramus, qualiter Deus sit secundum se ipsum; nunc considerandum est, qualiter sit in cognitione nostra, id est, quomodo cognoscatur a nobis, (Q. 12. in præm.) Multipliciter Deus potest a nobis cognosci. 1. Abstractivè per effectus, sic per creaturas cognoscimus naturaliter Deum, ut Actorem naturæ: juxta illud Apost. ad Rom. 1. Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. 2. Supernaturaliter, sed obscurè, per fidem. 3. Supernaturaliter, clare, & intuitive, ut est in se, quomodo Beati in Cælo cum vident. Hæc Dei cognitio dicitur visio; quia, sicut dicimus rem corpoream videre, quando eam præsentem clarè, & intuitivè

oculo corporeo attingimus; ita dicimus rem spirituales videre, quando intellectus, qui est oculus mentis, clarè & intuitivè fertur in eam, ut realitèr sibi in se præsentem. De cognitione Dei per fidem agit S. Doctor in 2. 2. de cognitione naturali, & abstractivè per effectus agit in 2. ultimis Articulis hujus questionis: in cæteris 11. de cognitione Dei per visionem intuitivam. De eadem visione Dei sub diverso respectu tractat in variis locis. In 1. 2. tractat de illa, ut est beatifica, & ultimus finis. In Supplemento tractat de illa ut pertinet ad statum gloriæ, ad quem ducimus per Christum. Hic de illa agit præcisè, ut pertinet ad cognoscibilitatem Dei.

ARTICULUS I.

Utrum essentia divina videri possit oculo corporeo.

Deum posse videri oculis corporeis, censuerunt quotquot inter Gentiles, & Hæreticos illum fixerunt corporeum. Inter Catholicos verò, qui Deum purum Spiritum agnoscunt, sunt nihilominus, qui contendunt ipsum posse videri, & de facto videndum oculo corporeo, non crasso & materiali, ut nunc est, sed glorificato, non per visionem corpoream, sed per visionem spirituales ipsi unitam. Ita plures de Schola Carmelitarum Calcæatorum cum Magistro suo Bone-spei Valentia autem probable reputat, posse creari oculum corporeum, qui vel natura sua, vel dono aliquo superaddito possit videre Deum: contra quos omnes cum Authore & communi sententia

Dico 1. Essentia divina non potest absolute videri, ut est in se, oculo corporeo, etiam glorificato.

Prob. 1. ex Scriptura 1. Tim. 1. dicitur: Regi sæculorum immortalis & invisibilis: Et cap. 6. Quem nullus hominum vidit: sed nec videre potest. Atqui istæ autoritates debent intelligi de visione per oculum corporeum: 1. Quia sic communiter interpretantur SS. Patres & Theologi: non licet autem interpretari Scripturam contra communem sensum SS. Patrum & Theologorum. 2. Quia non potest intelligi de visione per mentem siquidem in pluribus alio Scripturæ locis declaratur, Deum esse visibilem oculis mentis, ut 1. Joann. 3. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et alibi, similiter, ut videbimus art. sequenti.

Prob. 2. ex Patribus. Origenes contra Celsum dicit: Falsè igitur nobis imponit Celsus, dicens nos sperare oculis corporeis Deum esse visuros: & addit, quod sola mens Deum videat. S. Cyrillus Jerosol. Catech. 9. Carnis quidem oculis cerni Deum non potest; nunc incorporeum sub corporeis oculis cadere nequit. S. Athanas. apud S. Aug. Epist. 111. dicit Deum, Secundum deitatis suæ proprietatem, omnino Deum esse invisibilem. Nisi in quantum mente ac spiritu intel potest. S. Ambros. apud eundem ibid. ut infra citabitur. S. Hieron. apud eundem ibid. idem asserit & probat, quia Res incorporalis corporalibus oculis non videtur.

Quantum ad S. Aug. de quo potissimum est difficultas, cum constanter tenuisse nostram sententiam, multis evincitur. 1. Epist. 6. ad Italicam dicit: Hoc (nempe Deum) oculis videre corporis, neque nunc potest, neque tunc poterit; quod multis argumentis probat, & oppositam opinionem insipientium & demeritarum vocat. Epist. 112. seu libr. de videndo Deo, postquam eandem sententiam confirmavit in priori, & in hac Epistola ex Scripturis, ex SS. Ambros. Hieronymo. Athanasio citatis, concludit sic verbis Ambrosii: Nec in loco Deus videtur, nec corporalibus oculis quaeritur; & addit: Hanc autem etiam meam esse sententiam, confiteor. In Ps. 41. post initium: Non quidem videri Deus nisi animo potest. Et alibi pluries. Tandem S. Fulgentius ejus discipulus, cui S. Doctoris mens melius perfecta erat, quam sit quibusdam Recentioribus, ad Q. 3. Ferrandi, testatur hanc esse sententiam sui magistris, eique subscribit his verbis: Oculis corporalibus Deus spiritus non videtur. Et non corporis, sed anime oculis Deus suam visionem promittit.

Si dicas laudatos Patres intelligendos esse de oculo corporeo crasso & materiali, prout est in hoc statu, non qua glorificato, ac in virtutem mentis quodam modo converso

Contra: 1. Laudati Patres locuntur de visione Dei, quæ erit in altera vita post resurrectionem; tunc autem erit oculus glorificato. 2. Sic excludunt oculum corporeum a visione Dei, ut illum soli menti adscribant. 3. Plerique ex citatis Patribus ideo negant, oculum corporeum posse videre Deum, quia corpus non potest videre spiritum; atqui hæc ratio currit etiam pro oculo glorificato, nisi fortè dicas per glorificationem evadere spiritum: sed hæc hypotesi cessat questio, & tota difficultas.

Prob. 3. Ratione. (Ibid.) Deus est spiritus; atqui absolute est impossibile, spiritum videri oculo corporeo: ergo. Major est de fide. Prob. Min. Impossibile est, potentiam aliquam ferri extra latitudinem sui objecti adequati, seu extensivi; in hoc enim differt objectum adequatum, seu extensivum, ab objecto proportionato, quod sub proportionato comprehendatur tantum ea, quæ potentia naturaliter, & absquè elevatione attingere potest. Adequatum autem & extensivum comprehendit omnia, ad quæ potentia, etiam supernaturaliter & ex elevata ferri potest: sicut impossibile est, potentiam aliquam ferri ultra latitudinem sui objecti adequati & extensivi: alioquin foret adequatum & extensivum, ut supponitur; & non foret, quia ultra illud potentia supernaturaliter se extendere. Atqui spiritus non continetur intra latitudinem objecti extensivi & adequati oculi corporei: Ergo. Prob. Min. Objectum adequatum ocu-

li corporei, sicut & omnis potentia materialis, et quid corporeum & materiale, nimirum oculi color, auris sonus, odoratus odor, &c. ergo. Prob. Ant. 1. Ex sensu communi hominum & definitione harum potentiarum communiter recepta, Visus enim communiter definitur, potentia perceptiva coloris lucidi; auditus, potentia perceptiva soni; & sic de cæteris. 2. Ex illo Christi ad discipulos Luc. 24. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Porro si spiritus contineretur intra objectum adequatum oculi corporei, alteriusve sensus materialis, ita quod oculum posset supernaturaliter illum videre, Christus inefficaciter probaret veritatem suæ carnis ex hoc, quod possit tangi & videri; siquidem in hac sententia etiam spiritus virtute divina possit tangi & videri. 3. Objectum adequatum oculi corporei, alteriusve sensus materialis minus late patet, quam objectum intellectus. Id primum experientia testatur, & etiam ratione constat; quia eo minus potentia extenditur, quo magis est materialis: per materiam enim limitantur potentia active; unde videmus, quod objectum sensus exteriori sit magis restrictum, quam objectum sensus interiori; & hujus, quam intellectus; quia sensus exterior est magis materialis, quam interior, & hic, quam intellectus: imò intellectus, licet pro hoc statu dependeat a phantasmatibus, ideo limitetur ad quidditatem rei materialis; tamen quia secundum communem rationem intellectus non habet limitantem materiam, est illimitatus & fertur in quodcumque ens, & in rationes communes entis a materia præcisas: ergo objectum adequatum sensus materialis debet esse materiale, neque enim possumus alium limitem ipsi præterire; & si se posset supernaturaliter extendere ad spiritualia & ad Deum, foret illimitatus sicut intellectus; imò foret intellectus supernaturaliter, quia esset supernaturaliter potentia perceptiva veri, & entis ut sic.

Confirmatur. Deus magis distat in ratione objecti ab objectis sensibilibus, quam unum sensibile ab altero sensibili, v. g. quàm color a sono; atqui absolute fieri non potest, quod oculus audiat sonum, & auris videat colorem: alioquin jam non forent duo sensus distincti, sed oculus foret auris, & auris oculus: ergo a fortiori fieri non potest, ut Deus videatur oculo corporeo.

Si dicas, aqua materialis in Baptismo ut elevata agit in animam, similiter ignis materialis in inferno: quidni pariter oculus corporeus, ut elevatus, posset attingere Spiritum?

R. Disparitatem esse, quod tam aqua in Baptismo, quàm ignis in inferno agant merè efficienter, ut causæ instrumentales Dei: de ratione autem causæ instrumentalis est, quod attingat effectum sua virtute superiore, quia agit virtute principalis agentis: at verò potentia visiva est causa vitalis & principalis visionis; qua vitalis, visio debet ab illa egredi, ut ipsi proportionata; qua principalis, cum agat virtute propria, non potest agere extra latitudinem sui objecti adequati.

Prob. 4. Visio Dei est immaterialis, utpote ipsi Deo immateriali proportionata. Atqui implicat, actum immaterialem elicere vitaliter & principaliter a potentia materiali, quantumvis elevata.

Prob. 5. ab inconvenienti. Si Deus posset supernaturaliter videri oculo corporeo hominis, posset pariter videri supernaturaliter oculo bruti, puta, bovis aut canis; potentia enim sensitiva brutorum sunt ejusdem, imò quandoquè absurdioris perfectionis quam potentia sensitiva hominis; atqui absurdum videtur consequens, ut magis declarabitur: ergo.

Respondent discipuli Bone-spei cum suo Magistro, hæc omnia probare, oculum corporeum non posse videre Deum visione corporea, at non visione spirituali ipsi unita. Sed contra

Dico 2. Fieri non potest, etiam de potentia Dei absoluta, ut oculus corporeus videat divinam essentiam visione spirituali ipsi unita.

Prob. 1. Quia Patres, in 1. conclusione laudati, dicunt, Deum non posse videri nisi sola mente. 2. Quia, in hac sententia, argumentum, quo Christus probat veritatem suæ carnis, etiam esset inefficax.

3. Quia visio est actio vitalis; atqui ut actio debet necessario esse ab agente; conceptus enim actionis est formaliter conceptus expressio. (Infr. q. 13. art. 10. o. & ad 3. & 1. c. gent. c. 97.) Ut vitalis debet esse necessario ab intrinseco se movente; per id enim distinguimus viventia a non viventibus, quod viventia se moveant ab intrinseco, secus mortua: sic dicimus, primum animal vivere, quando incipit ex se motum habere; & tandiu judicatur animal vivere, quando talis motus in eo apparet: quando verò ex se jam non habet alium motum, sed tantum movetur ab alio, tunc dicitur animal mortuum propter defectum vitæ. Unde ea, quæ videntur se movere, & quorum motores vitæ ignorat, dicimus similitudinè vivere, ut argentum vivum, aqua scaturiens, &c. Ergo impossibile est, quod oculus corporeus videat Deum visione spirituali ipsi unita. 4. Visio spi-

spiritalis est intellectio. Atqui fieri non potest absolute, quod oculus corporeus intelligat; quia, quod non est intellectivum in actu primo, non potest magis intelligere in actu secundo quam lapis aut lignum.

Dices contra notionem actus vitalis. Motus gravium deorsum, emanationes proprietatum in corporibus inanimatis sunt ab intrinseco, & tamen non sunt actus vitales, neque per eos gravia aut alia inanimata dicuntur vivere: ergo male assignatur notio actus vitalis per hoc, quod sit ab intrinseco se movente.

R. Tam motus gravium, quam alias emanationes, seu resultantis requisitas ad complementum generationis proprie esse a generante & non genito, nisi ut moto, & non ut se movente; juxta illud, *Qui dat esse, dat consequentia ad esse*. Neque tamen generans per illos motus dicitur vivens; quia per illos non se movet, sed movet aliud: vivere autem est ab intrinseco se movere, ita ut motus sit a vivente & in vivente; quia actio vitalis qua talis est actio immanens.

Prob. ultimum ab inconvenienci, ut supra. Quia inde etiam sequeretur, oculum bruti posse videre Deum visione spiritali sibi unita, sicque esse beatum.

Ad hoc inconveniens Magister Bonae spei apud Henricum a S. Ignatio discipulum suum distinct. 7. art. 6. §. 7. n. 224. dupliciter respondet. 1. Negat, ex sua sententia sequi hoc absurdum: quia, inquit, oculus hominis vivit in actu primo vita spiritali anime rationalis, unde est capax vite spiritalis in actu secundo; non sic oculus bruti. 2. Dicit, non esse magis absurdum aut impossibile, quod bos visione spiritali sibi unita videat Deum, quam quod sit Deus per unionem cum persona Verbi.

Sed contra. Ad 1. R. 1. Oculum corporis vivere quidem vita spiritali anime, nedum in actu primo, sed etiam in secundo; nihilominus non esse ideò spiritualem, seu intellectivum in actu primo, quia non informatur anima qua spiritalis est, sed qua sensitiva tantum; sicut, licet ossa vivant actu vita, que est spiritalis & sensitiva, non sunt tamen sensitiva & intellectiva in actu primo, quia non informantur anima qua spiritalis est & sensitiva, sed qua vegetativa tantum: quod autem non est spirituale, seu intellectivum in actu primo, non potest absolute intelligere in actu secundo: & ideò adversarius concedit, lapidem non posse videre Deum, aut vivere in actu secundo, quia non est videns aut vivens in actu primo.

2. Si sensus corporeus esset intellectivus in actu primo, quia animatur naturaliter vita spiritali, posset naturaliter intelligere in actu secundo: quia esse intellectivum in actu primo, nihil est aliud, quam posse in se producere & recipere intellectionem. Item, si oculus esset intellectivus in actu primo, quia informatur anima intellectiva, sequeretur, quod etiam esset auditivus, olfactivus, gustativus, &c. in actu primo, quia informatur anima auditiva, olfactiva, &c. que omnia sunt absurda.

Ad 2. N. Assumptum, & paritatem. Disparitas est, quod si persona Verbi uniretur bruti, brutum non diceretur Deus, nisi per communicationem idiomatum, quatenus predicatum *To Deus* predicaretur de supposito habente naturam bruti, sed ipsa natura bruti non foret Deus aut Divinitas; at si brutum videret Deum per visionem spiritualem, non solum brutum diceretur videns Deum & beatum per communicationem idiomatum, sed ipsa natura bruti esset videns Deum & beata, quo nihil potest cogitari absurdius. Insuper brutum unum personae Verbi non est capax denominationis personae: ergo a fortiori, nec visionis intellectualis, que petit principium intrinsecum proportionum, scilicet intellectivum in actu primo.

Ex dictis colliges contra Valentiam & Arriagam, non esse creabilem oculum corporeum, qui possit supernaturaliter elevari ad visionem Dei; quia hoc ipso quo est corporeus, militant contra omnes rationes, quas huc usque protulimus.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. ex Scriptura: Job 19. *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum*: ergo.

R. quod, cum dicitur, *in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*, non intelligitur, quod oculo carnis Deum sit visurus; sed quod in carne existens post resurrectionem Deum sit visurus. Hoc est: videbo Deum in carne, sed non per carnem. (*Heb. art. 3. ad 1.*)

Instabis 1. Debet intelligi, quod Job videbit & viderit Deum in carne per carnem: ergo. Prob. Ant. Paulo post subiungitur: *Quem visurus sum ipse & oculi mei conspiciuntur sunt*. Ex cap. 42. *Audisti auribus tuis te, nunc autem oculus meus vidit te*.

R. N. Ant. Ad probationem R. ad 1. locum, quod sensus sit: ego existens in carne videbo oculis mentis Deum, & ocu-

lis corporalibus Deum hominem factum. Eandem huius loco interpretationem adhibet S. Aug. 1. 2. de Civit. Dei c. 29. his verbis. *Illud enim, quod ait supra memoratus Job... & in carne mea videbo Deum, resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit, non tamen dixit per carnem meam* (Hoc, secundum 1. nostram explicationem) *quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur*. (*In Comm. ad libr. Job.*)

Ad 2. R. 1. quod intelligit de oculo mentis, juxta illud Apost. ad Ephes. 1. *Det vobis Spiritum sapientie in agnitione ejus illuminatus oculos cordis vestri*. R. 2. secundum communem interpretationem, quod in hoc loco non agatur de visione Dei secundum essentiam, sed secundum providentiam: unde sensus illius est; prius multa audiveram de tua providentia, nunc autem video manifesta ejus indicia in me ipso. Vel ut Gregor. Magn. exponit: *Nunc multo melius, quam antea te agnosco, quia per flagella profeci*.

Instabis 2. in multis aliis locis Scripturæ; Gen. 32. de Jacob dicitur: *Vidi Deum facie ad faciem*. Idem de Moysè, Exod. 3. Idem de Isaiâ c. 6. & alibi pluries: ergo.

R. Has, & similes Scripturæ auctoritates juxta communem Patrum interpretationem debere intelligi de Deo apparente sub corporali specie; aut certe de visione Dei per oculum mentis: nec est ullus Patrum, qui has unquam intellexerit de visione Dei, ut est in se per oculum corporeum, etiam clarificatum. Ita ut ipsomet Aug. de cujus mente litigant adversarii 22. de Civit. c. 29. expressè dicit: *Ullis exemplis, sive Scripturarum testimoniiis divinorum, vel difficile, vel impossibile est ostendere, scilicet, quod per oculum corporeum etiam glorificatum incorporea Dei natura posset videri*. Maxima autem foret temeritas Scripturam interpretari contra communem sensum Patrum.

Objicies 2. S. Aug. 22. de Civit. Dei c. 29. dicit: *Vis itaque prepollentior oculorum erit illorum scilicet glorificatorum, non ut videant acutius... sed ut videant & incorporea*: ergo.

R. quod Aug. loquitur ibi, inquirendo tantum, & sub conditione; quod patet ex hoc, quod præmittitur: *Longè itaque alterius erant potentie, scilicet oculi glorificati, si (nota conditionem) per eos videbitur incorporea illa natura*. (*Heb. art. 3. ad 2.*)

Instabis 1. Aug. loquitur assertivè, non inquirendo tantum & sub conditione: ergo. Prob. Ant. ibidem superius S. Doctor deridet Philosophorum sententiam, qui certo tradunt non corpus per spiritum, nec spiritum per corpus posse videri: ergo.

R. N. Ant. Ad probationem, D. Ant. deridet hanc sententiam quod 1. membrum tantum, C. Ant. quoad utrumque, N. Ant. Patet legenti textum, & etiam ex aliis locis ubique approbat hanc rationem quoad 2. membrum & maxime Epist. 112. c. 23. his verbis: *Nam, sicut alibi idem Hieronymus breviter ac veraciter definit, res incorporealis corporalibus oculis non videtur*. Alias enim non derideret sententiam Philosophorum tantum, sed etiam aliorum Patrum, qui ea usi sunt, ut vidimus; quod non est dicendum de S. Aug.

Instabis: S. Aug. damnat hanc sententiam etiam quoad 2. membrum: ergo. Prob. Ant. Paulo infra dicit: *Fieri potest, valdeque credibile est, sic nos visuros mundana corpora calinovi, & terre nove; ut Deum ubique presentem... per corpora que gestabimus clarissima perspicuitate videamus*. *Non sicut nunc invisibilia Dei per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur... sed sicut homines, inter quos viventes morasque vitales exercentes vivimus, nos ut aspiciamus, non credimus vivere, sed videmus*... ergo.

R. Quod S. Aug. his verbis intelligat oculos glorificatos Deum visuros per accidens in aliquo ejus effectu, sicut oculi nostri nunc dicuntur videre vitam alicujus, quando vident motus sensibiles, & corporeos ab illo procedere. Vitam autem non videtur oculo corporeo sicut per se visibile, sed sicut sensibile per accidens, quod quidem a sensu non cognoscitur; sed statim cum sensu ab aliqua alia virtute cognoscitur. Quod autem statim visis illis corporibus divina presentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus contingit, scilicet ex perspicacitate intellectus, & ex refugentia divinæ claritatis in corporibus innovatis. (*Ibid.*)

Instabis 3. Secundum illam D. Thomæ explicationem sequitur, quod Deus non videretur formaliter oculo corporeo, sed per accidens tantum; seu per aliud; formaliter autem tantum intellectu; atqui hoc non potest dici, juxta mentem Augustini: ergo. Prob. Minor. S. Aug. ibi assertit, Deum videri eo modo, de quo non assertivè, sed dubitantèr ibidem dicit, *fieri potest credibile est*, &c. atqui Aug. nunquam dubitavit, Deum videri formaliter intellectu, & per accidens oculo corporeo: ergo.

R. N. Min. Ad probationem, D. Min. atqui Aug. nunquam dubitavit, Deum videri formaliter intellectu, nec de modo speciali, quo videretur per intellectum Beatorum, N. Min. Nunquam dubitavit, Deum videri formaliter per intellectum, be-

ne tamen de modo, speciali, quo videretur intellecto Beatorum, C. Min. Non dubitavit ergo Aug. Deum videri formaliter intellectu, & sensu per accidens, sicut nunc invisibilia Dei per ea, que facta sunt, intellecta conspiciuntur: sed dubitavit de modo peculiari, an scilicet oculi glorificati viderent Deum per accidens, eo excellentiori modo quo dicimus videre vitam proximi, dum movetur in conspectu nostro. Et de hoc modo videndi Deum dubitantèr dixi: *fieri potest, valde credibile est*: quia id non est undequaque certum.

Instabis 4. Salmem negari non potest, S. Aug. continuo dubitasse, an Deus post resurrectionem non esset videndus oculo corporeo, & modo in unam, modo in alteram entitatem propensum fuisse: atqui tanti Doctoris dubium præsertim continuum debet censeri rationale & probabile: Ergo saltem probabile est, Deum post resurrectionem esse videndum oculo corporeo.

R. N. Ant. Certo enim nobis constat, Aug. constantèr tenuisse Deum non esse videndum post Resurrectionem, nec posse videri oculo corporeo, ex Epist. 8. 112. 112. & ex aliis pluribus locis. Item ex S. Fulgentio ejus Discipulo, qui S. Doctorem hujus nostre sententiæ assertorem facit. Verum alia duo dubia fuerunt Augustino in hac materia. 1. An Deus in patria sit videndus eo speciali modo, quo videmus alicujus vitam per motus ejus corporis, de quo in responsione ad 2. instantiam. 2. Utrum, & quomodo corpus post Resurrectionem sit convertendum in spiritum, prout quidem apud ipsum Epist. 112. asseruerant ex illo 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale*; quod est extra statum questionis nostre, ut jam advertimus. Porro hanc quorundam opinionem de transmutatione corporis in spiritum, licet expressè non damnet in cit. Epist. 112. tum propter auctoritatem ejusdem Episcopi id asserentis, quem prioribus suis litteris offenderat, & sibi reconciliari volebat: tum quia res fore ipsi nondum satis erat explorata; sic tamen eam expendit, ut a sententia nostra nullatenus deflectat: unde cap. 21. dicte Epist. sic loquitur: *Postremo, quia id, quod ego in illa Epistola mea dixi de istis nostre carnis oculis, quia neque nunc possunt neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic verum est. Non enim dictum est, nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt, si corpus ipsum spiritus erit, ac per hoc corporei oculi nunquam Deum videbunt; quia, cum videbitur, spiritus eum, non corpus, videbit. Tota ergo questio jam remansit de corpore spiritali... quatenus ex animalis in spirituale mutetur, que diligenti sollicitudine tractanda est, maxime propter corpus Christi*. Diligentius autem hanc difficultatem discutit l. 22. de Civit. cap. 29. nec eam plane evacuat, dicit enim ibi: *Spiritalis corpus nescimus quantum habeat accessus, de re quippe inæperta loquimur*. Sed eam tandem resolvit l. 1. Retract. cap. 17. & definit, corpus non esse convertendum in spiritum: *Quisquis, inquit, ea sic accipit ut existimet ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus celeste resurrectione mutari, ut nec membra ista, nec carnis futura sit substantia, procul dubio corrigendus est, communis de corpore Domini, qui post resurrectionem in istis membris non solum conspiciuntur oculis, verum etiam manibus tangendus apparuit, carneque se habere etiam servum firmavit, dicens: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere**.

Objicies 3. a ratione. In quolibet datur potentia obedientialis ad quodlibet, ex cujus productione non sequitur contradictio: Ergo oculus corporeus potest elevari ut videat Deum visione spiritali, cum in hoc nulla appareat contradictio.

R. 1. N. Conseq. & ejus probationem. Multiplex enim inde sequeretur contradictio. 1. Talis visio fore vitalis, ut supponitur, & non foret, quia non esset ab intrinseco. 2. Oculus corporeus intelligeret, ut supponitur, & non intelligeret, quia non est intellectivus in actu primo. 3. Ferretur extra objectum suum adæquatam, quod proinde foret, & non ferer adæquatam. Adde absurdum, quod canis posset videre Deum, & esse beatus.

R. 2. D. Ant. In quolibet datur potentia obedientialis ad quodlibet instrumentaliter, & merè efficienter, C. Ant. Principaliter & vitaliter, N. Ant. Quia causa principalis agit virtute propria: si ergo elevari ultra propriam virtutem, hoc ipso desinit agere ut causa principalis. Similiter actio vitalis qua talis petit esse a principio intrinseco sibi proportionato: sicut enim actio vitalis in genere debet esse a principio vitali in genere, & ideò actio vitalis qua talis non potest esse a lapide, ita actio vitalis in talis specie debet necessario esse a principio vitali in tali specie. Unde, sicut visio, qua vitalis, non potest esse ab aure, nec auditio ab oculo; ita nec visio spiritalis qua vitalis potest esse a principio vitali corporeo. Oculus autem corporeus est causa principalis, & vitalis visio visionis, qua dicitur formaliter, & vitaliter videns, ut per se notum est. Si dicitur instrumentaliter, & merè efficienter produceret aut acciperet

visionem spiritualem, non esset per eam formaliter vitaliter videns, sed ad illam se haberet motu quodam modo: sicut aqua in Baptismo se habet ad productionem gratiæ: aut sicut se haberet lapis, si elevaretur ad producendum instrumentaliter visionem Dei, per quam nec viveret, nec videret Deum.

Instabis 1. Anima spiritalis potest sensatione materiali attingere corporea, etiam principaliter vitaliter: Ergo oculus corporeus potest visione spiritali attingere spiritum principaliter vitaliter.

R. 1. Hoc argumento probari, Deum oculo corporeo videri naturaliter, sicut anima naturaliter attingit corporea, consequenter nimis probat, adeoque nihil. (*Infra q. 77. art. 5. in 2. 3. c.*) 2. N. Ant. Sentire enim non est proprium anime solius, neque corporis solius, sed conjuncti, hoc est totius compositi; quia potentia formaliter sensitiva non indentificatur soli anime, neque soli corpori, sed utriusque; secus potentia intellectiva. 3. Dato Ant. N. Conseq. Disparitas est, quod anima spiritalis sit eminentèr sensitiva, oculus autem corporeus non est eminentèr spiritalis.

Instabis 2. Magis distat Angelus a Deo, quam oculus corporeus ab Angelo; Atqui Angelus potest videre Deum: ergo oculus corporeus Angelum: si Angelum, quidni Deum?

R. D. Maj. Magis distat Angelus a Deo, quam oculus corporeus ab Angelo entitative, C. objective, N. Quia, cum Deus sit ens verum & intelligibile, cadit sub objecto intellectus Angelici & humani. At verò Angelus, cum non sit materialis, non potest cadere sub objecto sensus materialis. Confer articulum subsequentem, præsertim in ultima objectione.

Objicies ultimo juxta S. Th. 3. p. q. 76. art. 7. ad 1. Oculus Christi videt se ipsum sub Sacramento, subsistentem: atqui inter Corpus Christi in Sacramento, & oculum corporeum non est major proportio, quam inter oculum corporeum, & spiritum; cum Corpus Christi in Eucharistia existat indivisibiliter ad modum spiritus: Ergo.

R. N. Min. Abstrahendo enim nunc a modo, quo Christus se ipsum videt in Eucharistia, de quo in 3. p. loco citato, sufficit, quod ejus corpus sit verum, & materiale habens omnia sua accidentia absoluta, quantitatem, qualitatem, proindeque colorem, licet non modo quantitativo in ordine ad locum. Unde inter ipsum; & oculum corporeum est quedam proportio, que nulla est inter oculum corporeum & spiritum.

ARTICULUS II

Utrum Intellectus creatus possit per solas naturas vires videre Deum, ut est in se?

Unomius & Aetius, & ab his dicti Anomii 4. seculo, non solum Dei visionem intuitivè, sed & comprehensivam tribuebant solis nature viribus, ut magis patebit ex infra dicendis; contra quos acerrimè pugnavit SS. Patres Chrysostomus, Basilii, uterque Gregorius: Ambrosius, Epiphanius & alii. Horum errorum ex parte, nimirum quantum ad visionem, suscitavit sæculo 14. Beguardi & Beguina, quos damnavit Concilium Viennense. Contra hos & illos

Dico: Nullus intellectus creatus potest per solas naturas vires videre Deum intuitivè, seu ut est in se. Est de fide.

Prob. 1. ex laudato Concilio Viennensi sub Clemente V. anno 1311. in quo damnati sunt Beguardi & Beguina, inter quorum errores articulus quintus hic erat: *Quilibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, & anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum*. Ita refertur Clementina, *Ad nostrum*, de Hæreticis l. 4. tit. 3.

Prob. 2. ex Scriptura. Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, que præparavit Deus illi qui diligunt illum*. Rom. 6. *Gratia Dei vita eterna*. Atqui vita eterna est ipsa Dei visio, juxta illud Joann. 17. *Hæc est vita eterna, ut cognoscant te solum verum Deum: Ergo*.

Prob. 3. Argumento fundato in principiis fidei. In Scripturis legitur, & in variis Conciliis adversus Pelagianos definitum est, hominem solis nature viribus non posse mereri gloriam, que est ipsa Dei visio: Ergo nec potest solis nature viribus illam operationem elicere. Confirmatur: Ideò definitum est, non posse solis nature viribus elicere actus fidei, spei, & charitatis, quibus meretur gloriam, quia sunt supernaturales, seu excedentes vires nostras naturas. Atqui visio Dei ut est in se est adhuc magis supernaturalis, cum hæc sit finis, illa media: Ergo.

Quantum ad rationem a priori, cur nempe hæc visio sit supernaturalis, seu excedat vires nature, monet Tournely non esse operosius inquirendam; cum nulla, inquit, profertur pos-

sit, que gravissimis difficultatibus non pateat. Attamen plures profert S. Thomas hic & alibi. Et ideo

Prob. 4. Ratione a priori. Objectum, cuius modus essendi excedit modum essendi nature cognoscens, non potest ab ea naturaliter, seu solis ejus viribus cognosci quidditative, seu ut est in se: atqui modus essendi in Deo in infinitum excedit modum essendi cuiusvis intellectus creati, sive humani sive Angelici: ergo. Minor patet tum ex se, tum inductione; sunt enim modi essendi triplicis generis. Quaedam sunt, quorum natura habet esse in materia, ut sunt corporalia. Quaedam sunt sine materia, non tamen sunt suum esse, sed sunt in potentia ad illud, sicutque habent aliquid, quod est in eis per modum materie, quales sunt substantie incorporee, quas vocamus Angelos. Solus autem Dei proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens, ideoque actus purissimus ab omni materia, & a quovis alio se habente per modum materie. (Ibid.)

Prob. Maj. Cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscere: atqui cognitum est in cognoscere secundum modum cognoscens; quod enim est in alio, est in eo ad modum ipsius, ita ut si natura cognoscens habeat esse in materia, qualis est anima rationalis; naturaliter cognoscet omnia ad modum quidditatis materialis per species abstractas a sensibilibus: si non habeat esse in materia, sed habeat esse potentiale ad existentiam, ut Angelus, cognoscit alia ad modum sui, hoc est, ad modum nature potentialis ad esse: Deus autem cognoscit ad modum quidditatis materialis vel potentialis, non est cognoscit quidditative ut est in se, cum ipse sit suum esse, & actus purissimus: ergo objectum, cuius modus essendi excedit modum essendi nature cognoscens, non potest ab ea naturaliter cognosci quidditative, & ut est in se.

Occurrit sapient. Mag. Tournely: *Hec ratio, inquit, videtur exigere in cognoscere eandem naturam seu eandem immaterialitatem, que est in objecto cognito. Atquidam videtur verum: namque Angelus inferior naturaliter superiorem cognoscit, nec tamen eundem cum ipso habet gradum essentie: intellectus etiam creatus, auxilio luminis glorie roboratus, Deum intuitu cognoscit, nec tamen per lumen glorie constituitur in eodem gradu essentie, & immaterialitatis cum Deo. Hec ille.*

Sed contra, N. Maj. Siquidem Deus infinite distans in natura, & immaterialitate a creaturis, eas quidditative, & perfectissime cognoscit. Non ergo exigit hac ratio aequalitatem inter cognoscens & cognitum; sed exigit, ut objectum quidditative, & ut in se est cognoscibile, non excedat in genere essendi naturam cognoscens. Dico in genere, & non in specie, seu perfectione essendi intra idem genus; quia hic est sermo de modo essendi generico spectato, secundum quod res est materialis, vel immaterialis, quia est sermo de modo essendi ex cuius diversitate sequitur diversitas cognitionis; cognitio autem fit per modum immaterialitatis, & immaterialitas sequitur modum generico essendi, ut patet ex dictis. Dicimus ergo, quod hoc ipso quo objectum est superioris generis in modo essendi, natura cognoscens non potest naturaliter viribus illud cognoscere, ut est in se; quia, quaecumque naturaliter intelligit, ea ad modum sui generis intelligit: sic v. gr. quia anima rationalis est in infimo genere immaterialitatis, sui modo essendi (licet enim secundum se sit spiritualis, est tamen forma corporis, & concreta materia) ideo quaecumque cognoscit naturaliter, & ex propriis viribus, cognoscit ad modum sui per species abstractas a sensibilibus, quo pacto ens omnino purum, ut est Deus, non potest cognosci ut est in se; & hinc patet responsio ad utramque partem Minoris.

Ad 1. licet Angelus superior differat ab inferiori in specie, & perfectione essendi, conveniunt tamen in genere, quatenus omnes sunt per se subsistentes, & a materia independentes; sicut eodem modo cognoscunt per species infusas, & non abstractas a phantasmatibus: unde nihil obstat, quominus inferior possit naturaliter cognoscere quidditative superiorem.

Ad 2. intellectus creatus, lumine glorie roboratus, cognoscit equidem intuitu Deum, non tamen naturaliter, & ex propriis viribus, de quo procedit questio; sed supernaturaliter, quatenus per lumen supernaturale elevatur supra ordinem suum, ut amplius non cognoscit ad modum sui generis per species abstractas a phantasmatibus.

Notandum itaque diligenter, hic esse questionem 1. Non de quacumque cognitione, sed de cognitione rei, ut est in se. 2. Non de cognitione supernaturali, seu per vires auxilii superadditi, sed de cognitione naturali juxta exigentiam, & vires nature cognoscens. 3. Non de modo essendi specifico, seu de majori vel minori nobilitate, & perfectione in eodem genere essendi, sed de ipso genere essendi, ex quo sequitur diversitas immaterialitatis, & consequenter cognitionis.

Prob. 5. Quod est connaturale alicui nature superiori, non potest competere naturaliter nature inferiori, sed tantum per actionem, & elevationem superioris; atqui videre Deum, ut est

in se est connaturale Deo: ergo. Prob. Min. Agere per formam propriam est connaturale cuiuslibet operantis; atqui videre Deum ut est in se est agere per formam propriam Dei, scilicet per ejus essentiam: ergo. Patet Min. quia ad visionem Dei est impossibilis aut saltem inutilis species aliqua, sed ejus vires supplet divina essentia, ut dicemus infra: ergo. (Lib. 3. contra gen. cap. 52.)

Ex otis, presertim in quarta probatione, facile solvuntur precipua que objici possunt, & parim recurrent articulo sequenti.

Utrum vero de potentia Dei absoluta sit creabilis aliquis intellectus qui per propria Deum intuitu videre possit; seu ut alii dicunt, utrum possit creari substantia supernaturalis, cui connaturale sit lumen glorie, & consequenter connaturale Dei visio, res-ivemus negative infra, dum de lumine glorie.

ARTICULUS III.

Utrum intellectus, supernaturaliter adjunctus, possit videre Deum, ut est in se?

Visionis beatę possibilitatem negarunt olim quidam Haretici apud S. Greg. l. 18. Moral. cap. 28. In eundem errorem, teste Turcereanta l. 4. de Ecclesia cap. 33. inepit Almaricus, contra quem pugnavit S. Dominicus in magno Concilio Later. sub Innocentio III. sed is error fuit precipue Palamarum seculo 14. a quibus eum hauserunt Armeni.

Palamite ergo, de quibus jam mentionem fecimus in superioribus, contenebant naturam divinam, prout est in se, non posse etiam supernaturaliter videri ab intellectu creato; sed admittebant quendam lucem increatam a Deo manantem oculis corporalibus visibilem, qualem, inquebant, viderant Apostoli in monte Thabor, & ea Sanctos in Caelo frui & beati: immo jactabant se, capite in umbilicum inclinato & compresso, atque oculis contortis hanc lucem videre, & inde mirabili voluptate affici. Hoc Palamarum deliramentum Greci in 4. Pseudosynodis acceptarunt & firmarunt: contra quos

Dico: Intellectus creatus supernaturaliter adjunctus potest videre Deum, ut est in se. (Hic art. 1. o.)

Est de fide decisa a Concilio Florentino in Decreto Unionis Armenis dato; ubi definitur, animas purgatas in Caelum mox recipi, & intueri clarę ipsam Deum trinum & unum, sicut est. Idem definitur Benedictus XII. in Extravag. Benedictus Deus.

Prob. ex Scriptura. 1. Joann. 13. dicitur: *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est: ergo non in effectibus, non in aliquo extrinseco, sed ipsam Dei substantiam in se. Ps. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. In nullo autem extra Deum possumus satiari, quia in omnibus invenimus limitationem 1. Cor. 13. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Si non per enigma & per speculum: ergo non per effectus, ergo intuitu in se, quod significat facie ad faciem. Item, si cognoscam ut sum cognitus: ergo intuitu, sum enim intuitu cognitus.*

Prob. ex Patribus. Ex multis unus aut alter sufficiat. Aug. Epist. 112. *Si queris, utrum, etiam sicuti est, possit aliquando videri? nempe Deus. Respondeo, fidelibus hoc esse promissum.* Chrysostomus, de quo est difficultas hom. 69. ad Pop. dicit, beatos Regem ipsum intueri, non per introitum, non per fidem, sed facie ad faciem. Idem in Epist. 5. ad Theodorum Lapsam cap. 7. exponens illi S. Petri verba Matth. 17. *Bonum est nos hic esse, dicit: Quid dicitur, quando ipsa rerum veritas aderit? quando aperitis Regis aedibus, ipsum Regem conspiciere licebit, non ultra in enigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem?* Item alibi.

Prob. ratione. 1. Homo potest supernaturaliter assequi suam beatitudinem, ad quam ex gratia Dei est elevatus: atqui intuitiva Dei visio constituit essentiam beatitudinis secundum Thomistas, aut saltem ad eam necessario requiritur secundum omnes; juxta illud Joannis 17. *Hec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum: ergo. (Ibid.)*

2. Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, dum intuetur effectus, & ex hoc admiratio in hominibus consurgit: atqui Deus est omnium rerum naturalium & supernaturalium causa, non qualiscumque, sed prima & universalissima, totum esse in eis profundens & conservans: ergo inest homini naturale desiderium videndi Deum, videndo ejus effectus. Subsumo: atqui non est verisimile, tam universale desiderium semper & in omnibus frustrari: ergo. (Ibid.)

3. Quamvis Deus clarę visus non continetur intra objectum connaturale & proportionatum intellectus creati, continetur tamen intra objectum ejus adaequatum, & extensivum: quatenus est ens verum & intelligibile; Intellectus enim creatus est capax omnis intelligibilis: atqui intellectus supernaturaliter ad-

juris potest attingere, quod est intra latitudinem sui objecti adaequati: ergo. Consule responsum ad ultimam objectionem. Confirmatur: Intellectus noster in hac vita Deum imperfecte cognoscit: ergo potest a Deo compleri ut perfecte cognoscat, cum in hoc nulla sit repugnantia. Quam autem vim ista rationes habeant, dicemus in appendice ad calcem Articuli.

Solvuntur objectiones.

Obijes 1. ex Scriptura. In multis Scriptura locis, Deus dicitur inaccessibleis, & invisibilis. Sic 1. Timot. 5. *Regi saeculorum immortalis, & invisibilis.* Ibidem cap. 9. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Joann. 1. *Deum nemo vidit unquam, & alibi similiter: ergo.*

R. has & similes, & Scripturae auctoritates debere intelligi, vel de visione Dei corporea, vel intellectuali per vires naturales, vel de comprehensiva; non vero de visione quidditative per auxilium supernaturale. Hinc Glosa in hac verba 1. ad Timot. 6. *Lucem habuit inaccessibleem;* dicit: *inaccessibilis est virtus nostris, accessibilis moribus suis.*

Repones: ex eo quod dicitur in Scriptura, quod Deus sit incomprehensibilis, recte colligitur, quod absolute, & simpliciter sit incomprehensibilis: ergo a pari, cum dicitur invisibilis, recte colligitur, quod sit absolute, & simpliciter talis.

R. N. Conseq. Disparitas est, quod nullibi in Scriptura legitur, quod Deus sit comprehensibilis; pluribus autem, quod sit visibilis. Unde, ut omnia concilietur, debet admitti, quod sit invisibilis virtus nostris, & comprehensivus; visibilis vero numeribus ejus, & quidditative.

Istabis. Si ex aliquibus Scriptura locis colligeretur, Deum posse intuitu videri, maxime ex his ubi dicitur Deum fuisse visum, ut esse videndum facie ad faciem; atqui ex his nihil potest probari pro visione intuitiva: ergo. Prob. Minor. Ex eo quod Gen. 32. dicit Jacob: *Vidi Dominum facie ad faciem.* & de Moysse dicitur similiter Exod. 33. quod viderint Deum facie ad faciem; non sequitur, quod viderint Deum, ut est in se: ergo pariter.

R. N. Minor. Ad probationem, N. Conseq. Disparitas est, quod in locis obijes dignoscatur ex adjunctis, Scripturam non loqui de visione Dei intuitiva, sed de cognitione quadam Dei eminenti per quasdam figuras sive sensibiles, sive imaginarias, aliquid divinum representantes. Ad Jacob enim ibi dicitur: *Ece visus videri tibi cum eo;* quod indicat non agi ibi de visione Dei in se ipso, sed in Angelo. Et de Moysse etiam ibidem dicitur, quod petierat a Deo: *Ostende mihi faciem tuam;* quod est signum, cum tunc non videret. Nihil vero tale reperitur in locis citatis pro conclusione & aliis; sed e contra ex adjunctis probatur intelligenda esse de visione intuitiva, ut patet ex 1. probatione. (Hic art. 11. ad 1.)

Urgebis: Quando aliquid de Deo in Scriptura affirmatur, & negatur, affirmatio sumitur in sensu metaphorico, & negatio in sensu proprio: v. gr. quando de Deo affirmatur poenitentia, aut mutatio, ut Genes. 6. sumitur in sensu metaphorico; quando vero de Deo negatur poenitentia, aut mutatio, ut Roman. 11. & Malach. 1. sumitur in proprio sensu: ergo, quando Scriptura affirmat, esse visum, aut videndum ut est in se, seu facie ad faciem, sumi debet in sensu metaphorico, & improprio; & quando id negat, intelligenda est in sensu proprio.

R. D. Ant. Si quod absolute affirmatur, absolute & eodem modo negetur, transeat Ant. Si quod absolute affirmatur, non absolute nec eodem modo negetur, N. Ant. Porro visio Dei intuitiva absolute affirmatur, ut patet ex citatis, non vero absolute, & eodem modo negetur in objectis. Sic, cum dicitur 2. Timoth. 6. & Joann. 1. *quod nemo vidit Deum, nec videre potest;* non dicitur, quod ex gratia Dei non viderit, aut videre possit. Item, cum dicitur Exod. 33. *Non videbit me homo, & videt,* non dicitur, quod si non vivat, non videbit.

Obijes 2. ex Partibus. Chrysostomus Hom. 14. in hac verba Joann. 1. *Deum nemo vidit unquam;* sic ait: *Ipsum, quod est Deus, non solum Prophetę, sed nec Angeli viderunt, nec Archangeli; quod enim creabilis est natura qualiter videre poterit, quod est increabile.* Similiter alibi. Ita ut Vazquez in 1. p. D. Th. disp. 36. c. 2. 3. & 4. existimet, S. Doctorem vix posse in bonum sensum intelligi. Eiusdem erroris insinuat Theodoretum, Basilium, utrumque Cyrillum, Gregorium Niss. Hieronymum, & alios.

R. Chrysostomus hic, & alibi loqui de visione comprehensiva, quod patet 1. quia agebat contra Anomæos, qui asserbant Deum posse ab intellectu creato comprehendi. 2. Quia quinque hominibus, quas contra illos edidit, inscripsit de incomprehensibili Dei natura. 3. Quia in illis continuo, & sexcentis usurpat verba comprehensivis & incomprehensibilitatis. 4. Quia in ipsis hominibus sapienter expressit significat, se per visionem in-

telligere comprehensionem. Sic paulo post verba relata subiungit: *Visionem hic dici certissimam Patris considerationem & comprehensionem tantam, quantum Pater habet de Filio. 5. Tandem, quia in pluribus locis admittit visionem Dei quidditativam, ut vidimus in probatione Conclusionis. (Ib. art. 3.)*

Dices cum Vasquez, Anomæos non ita fuisse stolidos, ut sibi arrogarent visionem Dei comprehensionem, ergo, dum Chrysostomus impugnat eorum sententiam, visionem Dei non comprehensionem, sed quidditativam rejicit.

Hic jure mirantur Theologi, Scriptorem Catholicum malle Hæreticos pessimos a stoliditate absolvere, quam præclarissimum Ecclesie Doctorem ab errore vindicare. Ceterum

R. Falsum omnino esse assumptum Vasquezii. Certo namque certius est, Anomæos cum Eunomio ita stolidos fuisse, ut visionem Dei comprehensionem sibi arrogarent. Id constat 1. ex Epiphanio hæres. 76. Ubi ipso vocat non tantum insanos, sed & furiosos & deliros. 2. Ex Theodoro l. 4. Hæretici Fab. ubi refert Eunomium dicere, se ipsam Dei substantiam exacte scire, eandemque de Deo habere cognitionem, quam ipse Deus de ipso habet. 3. Ex Hieronymo in c. 11. Math. Tandem ex ipso Chrysostomo, qui passim ipsos stolidos, amentes, & insanos vocat. *Ad genus hominum, inquit Hom. 5. non secus quam deliros & insanos despiciere spernarique debemus. Ipsi se ita Deum nosse, inquit Hom. 2. quemadmodum Deus se ipse novit, asserunt... Hæc eorum opinio orta est ex stoliditate & inflatione mentis vehementissima.*

Instabis: Chrysostomus loco cit. subiungit: *Si eos (Angelos) precontaberis, nihil ab his de Dei sublimitate audies, sed tantum referentes: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis;* atqui, si viderent Dei substantiam ut est in se, possent de ea enarrare: ergo.

R. 1. Min. posse negari; quamvis enim Angeli videant essentiam Dei, non sequitur, quod possint illam nobis enarrare, quia nos hujus enarrationis sumus incapaces; sunt enim juxta Apostolum ineffabilia verba, que non licet homini loqui.

R. 2. Sensum Chrysostomi esse, Angelos non posse enarrare de substantia Dei perfecte & pro sua dignitate, sicut unigenitus, qui est in sinu Patris.

Repones: Chrysostomus hom. 3. de incomprehensibili Dei natura, loquens de Seraphim videns faciem suam dicit: *quancumque non ipsam meram videant lucem, nec ipsam sinceram substantiam (Dei) sed que videbant, condescensus erat & indulgentia.* Quid autem intelligat per condescensus, & indulgentiam, statim explicat: *Cum Deus, inquit, non ut est se ostendit, sed quoad videre se potest, qui aspectum hujusmodi meriti, eatenus in firmitate videns suam representationem metitur ac temperat, condescendere illam tantisper dicitur, & ejusmodi rem condescensus nominamus & indulgentiam:* ergo, juxta Chrysostomum, Angeli non vident substantiam Dei, nec Deum, ut est in se, sed condescensus tantum, qui, cum non sit Deus, non est nisi aliquid creatum.

R. N. Conseq. & dico ut antè, Chrysostomus hinc verbis velle tantum, quod Angeli non videant essentiam Dei, & Deum, ut est, eo modo quo Deus se videt, scilicet comprehensive, ut volebant Anomæi, contra quos expressè agit homilia citata; sed quod videant inferiori modo, quom vocat condescensus, quatenus nempe essentia divina in ratione speciei unitur intellectui divino in supremo gradu unionis, & identificationis, ac proinde tota, & totaliter, ac in ordine ad comprehensionem; intellectui autem creato unitur in gradu inferiori, & ab illo supremo condescendente, ita ut, licet tota uniat, non tamen totaliter. Ita seipsum explicat Chrysost. sequenti hom. 4. his verbis, *Nullum vidisse Deum, Joannes inquit, ut exquisitam illam comprehensionem; & expressam cognitionem in nullo contigisse intellegas.* Et paulo post: *Cum itaque dicat Deum, quamvis condescendentem, minime ferre illas virtutes (Angelos) potuisse, nihil aliud docet, nisi ejus cognitionem expressam, amplam, integram non potuisse recipere... neque ipsis virtutibus superis Deum esse comprehensibilem.* Unde nego, in mente Chrysostomi condescensus esse quid creatum.

Replicabis: Eadem hom. 3. dicit, ipsum condescensus visum fuisse a Prophetis; atqui constat, Isaïam, de quo loquitur, non vidisse divinam essentiam: ergo.

R. Chrysostomum dicere Isaïam obscurovis vidisse condescensus, quam virtutes superę (scilicet Angeli) vident: sunt enim verba loco citato; quia nempe Angeli, licet non viderint Deum comprehensive, vident tamen per condescensus intuitivè: Isaïas autem tantum abstractivè, per lumen propheticum, seu in persona Angeli: Chrysostomus enim vocat condescensus omnem Dei cognitionem, quam Deus communicat creaturis, sive in hac vita, sive in beata; quia est inferior cognitio comprehensiva, qua se ipsum videt, & sic in illo condescensus sunt gradus.

Urgebis cum Sture. Chrysostomus hom. 14. in Joann. dicit: *Ant-*

Angelos vidisse quidem Deum in natura assumpta, nam antea non videbant: ergo.

R. S. Doctorem manifestè loqui ibi de visione Dei, non ut est in se, sed ut est in natura assumpta, quem Angeli sic antea non videbant, & quem postea non solum viderunt, sed & comprehenderunt.

Alii verò Patres, qui obijci possunt, eodem sensu, ac Chrysostomus intelligi debent. Quidam tamèn excipiunt Theodoretum Chrysostomi discipulum; is enim in dial. 1. quem inscripsit *Immutabilis*, agens contra Eutyrianos, qui volebant naturam in Christo absortam esse a divinitate, probat Christum habuisse verum corpus, quia visus est ab omnibus in terris. Objicienti vero Eutyriano, Deum in veteri Testamento visum fuisse a Prophetis, & etiamnum videri ab Angelis, & tamèn Deum non esse corpus; respondet Theodoretus, Prophetas in veteri Testamento non vidisse divinam naturam, sed visiones quasdam ipsorum captui accommodatas: Sic ergo, inquit, de Angelis intelligamus, audientes quòd semper vident faciem Patris nostri, non enim vident divinam substantiam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ universa comprehendit, sed speciem quamdam ipsorum naturæ accommodatam... post incarnationem vero visus est etiam Angelis, secundum divinum Apostolum, non in similitudine gloriæ, sed verò ac vivo vultu, quasi velamine, carnis tegumento. Neque responderi potest, ipsum loqui de visione comprehensiva Anomæorum, quia ibi non agit contra ipsos, sed contra Eutyrianos.

Propter hæc & similia, Doct. Petavius, qui l. 7. Theolog. dogm. catholice interpretatur S. Chrysostomum. & alios Patres, deserit Theodoretum cum Græcis, & Armenis.

Non pauci tamèn ipsum in bono sensu explicant. Quidam dicunt, esse intelligendum ad sensum sui Magistri Chrysostomi de visione comprehensiva, quod probant ex his ejus verbis: *Non vident divinam essentiam, quæ nec circumscribi, nec comprehendit, seu, ut lert alia versio, cogitatione seipsum potest*: ergo, inquit, solum visionem comprehensivam excludit. Negant autem, quod assumitur, Theodoretum agere tantum contra Eutyrianos; & dicunt, ipsum etiam occasione data agere contra Anomæos, tunc grassantes per Syriam.

Alii existimant, Theodoretum excludere tantum visionem Dei per oculos corporis. Probat enim contra Eutyrianos, Christum habere verum corpus, hoc argumento: *Ille habet verum corpus, qui videtur oculis corporis; sed Christus visus est oculis corporis: ergo habet verum corpus*. Et cum sibi objecisset in persona Eutyriani, Prophetas vidisse Deum, & Angelos eum videre, cum tamèn Deus non habeat corpus; respondit, quòd neque Prophetæ viderint essentiam Dei, neque Angeli eam viderint, utiqùe oculis corporis, de quibus procedit argumentum; sed quòd Angeli tantum eam sic viderint in carne post incarnationem.

Aliud constat, Theodoretum alibi expressè assertere visionem Dei intuitivam. Sic in commentario in Epist. ad Ephes. dicit: *Fideles nunc per fidem ambulabant, non per speciem; tunc autem videbant facie ad faciem*. Idem in vita S. Jacobi anachorete.

Ceterum, dato Theodoretum cum paucis dissensisse a sensu communi ceterorum Patrum circa præsens dogma, non idè solvitur series traditionis.

Objicies 3. a ratione: Plus Deus distat ab intellectu creato, quam Angelus ab oculo corporeo; atqui oculus corporeus etiam supernaturaliter non potest videre Angelum: ergo nec intellectus creatus Deum.

R. D. Maj. Plus distat Deus ab intellectu creato, quam Angelus ab oculo corporeo in ratione entis, C. In ratione objecti, & habitudinis, N. Quia Deus utpotè intelligibilis continetur intra objectum adequatum intellectus creati; non verò Angelus, utpotè purus spiritus, intra objectum sensus corporei, ut modo latius explicabo.

Repones: Potentia finita non potest attingere infinitum; atqui intellectus creatus est finitus, & Deus infinitus: ergo.

R. D. Maj. Potentia finita non potest attingere infinitum infinite, C. Majorem: Finitè: N. Majorem.

Instabis: Objectum supernaturalis non potest attingi nisi modo supernaturali: ergo nec infinitum nisi modo infinito.

R. N. Conseq. Disparitas est, quòd objectum naturale attingatur ut naturale, consequenter modo naturali; infinitum autem non attingitur ut infinitum, & sic potest attingi finito modo.

Objicies 4. nulla potentia potest etiam supernaturaliter elevari ultra latitudinem sui objecti specificativi; atqui Deus clarè visus non continetur intra latitudinem objecti specificativi intellectus creati, sive Angelici, sive humani. Patet Major; quia si potentia elevaretur ultra suum specificativum, transiret limites suæ essentiae, & consequenter non remaneret eadem; siquidè ejus specificæ, & essentialis constitutio totaliter sumitur

ab objecto specificativo. Undè potentia visiva v. gr. eadem manens non potest elevari etiam supernaturaliter ad sonum, nec auditiva ad coloratum; quia sonus est specificativum auditus, sicut coloratum lucidum visus, ut dixi supra: ergo.

Prob. Min. 1. Potentia creata, & naturalis non potest specificari ab objecto increato, & supernaturali, qualis est Deus in se visus. Duo sunt intellectus creati specie differentes, sicut & naturæ, quarum sunt potentie, Angelicus scilicet, & humanus; atqui non potest esse unum, & idem specificativum duplicis potentie specie distinctæ. Undè communiter dicitur, quòd objectum specificativum intellectus humani pro statu conjunctionis sit quidditas rei sensibilis, & quiddam per connotationem ad illam, & ad illius modum est cognoscibile; pro statu separationis quidditas spiritualis animæ, ad cuius modum intelligit alias substantias spirituales. In unoquoque autem Angelo proprium specificativum est ipsa substantia spiritualis propria, ad cuius modum reliqua cognoscit.

Respondetur communiter, quòd, licet Deus clarè visus in se non continetur intra objectum proportionatum, & connaturale intellectus creati, continetur tamèn intra objectum ejus terminativum, & extensivum, seu adequatum, quod est ens in tota sua latitudine; adeoque quòd supernaturaliter aditus possit illud attingere: sicut lux solis licet sit improporcionata oculis nocturæ, quia tamèn non est extra latitudinem potentie ejus visivæ, est enim ejusdem speciei cum nostra, si corroboretur potentia visiva nocturæ, poterit videre solem.

Verùm ista solutio, quæ est D. Thom. 3. contr. gent. cap. 5. quantumvis vera, non tamèn evacuat difficultatem, nisi magis explicetur. Etenim 1. sequitur, quòd Deus clarè visus in se solum excedat facultatem intellectus nostri, sicut sensibile excellens excedit sensum infirmum, & consequenter quòd attingatur ab illo sub ratione formali sui specificativi, sicut lux solis respectu nocturæ; sub eadem enim ratione formali specificativa a noctura respicitur sicut lux lune; id autem est falsum, cum Deus nullatenus sub ratione quidditatis sensibilis, aut per connotationem ad illam (quæ est ratio formali objecti specificativi intellectus nostri) videatur clarè in se. 2. Etsi ens in tota sua latitudine sit objectum adequatum, & terminativum intellectus creati, respicitur tamèn a diversis intellectibus, angelico, & humano, sub diversa ratione formali specificante, ut dicitur est: undè manet integra difficultas, cur possit intellectus elevari ultra suum objectum specificativum, quo ab alio intellectu distinguitur, & non possit potentia sensitiva, ut v. gr. oculus elevari ultra suum specificativum ad attingendum sonum, cum sonus continetur intra latitudinem objecti sensibilis, sicut Deus intra latitudinem objecti intelligibilis. Ad solutionem hujus difficultatis

Adverte 1. in quolibet intellectu creato distinguendam esse rationem genericam potentie spiritualis, & rationem specificam talis intellectus, seu potentie. Ex parte rationis genericæ attenditur tantum capacitas passiva actuabilis ab intelligibili; ex parte rationis specificæ attenditur virtus activa intelligendi; penes quam itaque, & non penes capaciatem ex ratione genericæ, petitur distinctio specificæ intellectuum, secundum quòd magis, vel minus accedunt ad rationem actus puri. Undè

Adverte 2. Quòd capacitas passiva intellectus creati major sit, quam virtus ejus activa; quia in ratione potentie spiritualis, ut sic, habet immaterialitatem absolutam, & completam segregatam ab omni materia, adeoque receptivam, seu actuabilem ab omni intelligibili, etsi perfectissimo (modo tamèn finito) quia modus informandi, & immutandi potentiam intellectivam ex parte objecti intelligibilis, quantumcumquè sit perfectissimum non est alius, quam modus spiritualis excludens omnem materiam corpoream: ergo hoc ipso quo aliqua potentia est immaterialis, est capax cujuscumque intelligibilis, quia est capax ut actuetur spirituali modo, qui in omnibus unus est. Undè fit quòd virtus ejus activa ratione talis capacitatis passivæ possit elevari ultra suum objectum specificativum, & connaturale.

At verò in potentia sensitiva, cum ipsa ratio genericæ sensibilitatis dicat materialitatem, & corporeitatem, & in tantum sit immaterialis, in quantum est activa supra conditiones materiæ; unico verbo, quia ipsa immaterialitas in potentia sensitiva non provenit ex ratione genericæ potentie sensitivæ, sed ex ejus specificæ ratione; hinc fit, quòd capacitas ejus passiva non sit major, quam activa (omnis enim potentia cognoscitiva fundatur in immaterialitate) & consequenter quòd virtus ejus activa non possit elevari supra objectum suum specificativum: alias extenderetur ultra suum objectum adequatum, quod implicat. Et hæc est ratio, cur visus non possit elevari ad audiendum, quia non solum ejus virtus activa, sed & capacitas passiva limitatur ad solum visibile, eo quòd non habeat immaterialitatem ex ipsa ratione genericæ sensibilitatis, sed tantum ex virtute activa; quæ est limitata ad solum visibile; cum tamèn intellectus propter rationem oppositam possit extendi ultra suum

sum specificativum, quia non est ejus objectum adequatum ratione capacitatis passivæ, quæ propter immaterialitatem absolutam, quam habet ex ratione genericæ potentie intellectivæ, est actuabilis ab omni intelligibili, uno, & eodem modo scilicet spirituali, excludente omnem materiam. Undè

R. Ad argumentum, D. Maj. nulla potentia potest etiam supernaturaliter elevari ultra latitudinem sui objecti specificativi, si similis, & semel sit adequatum, C. scilicet, N., & ad hunc sensum distincta Minor, N. Conseq. Nec inde sequitur, intellectum creatum transire limites suæ essentiae, & non remanere eundem; quia remanet semper idem ejus specificativum connaturale, & proportionatum, a quo haurit speciem, nec aliud attingit ut specificativum, quia non sub eadem ratione formali motiva, sed ut elevatus supernaturaliter ratione capacitatis passivæ.

APPENDIX.

Utrum possibilitas visionis beatæ possit solo lumine naturali demonstrari, aut cognosci.

R. Resp. Probabilis negativè. Ratio est; quia visio Dei intuitiva est omnino supernaturalis, non solum in ratione entis, sed etiam in ratione veri, & cognoscibilis, cum neque a priori per causam naturalem, neque a posteriori per effectum naturalem cognosci, aut demonstrari possit: nullam enim habet connexionem cum causa, aut effectu naturali, ex cuius cognitione mens ascendat ad illam indagandam, aut demonstrandam; ita ut, si non existeret, aut non foret possibilis ista visio, res omnes naturales forent nihilominus eodem prorsus modo, quo nunc sunt.

Quantum ad rationes, quibus eam probavimus, prima non est merè naturalis, sed Theologica, ejus una præmissa est de fide. Aliæ sudent tantum probabiliter, & moraliter possibilitatem hujus mysterii, supposita fide, sine qua nullam ejus cognitionem haberemus.

Quantum enim ad 2. cum dicimus, inesse homini naturale desiderium videndi Deum, visis ejus effectibus, non intelligimus de desiderio, seu appetitu innato, qui sequitur naturam absque cognitione, talis enim appetitus fertur ad bonum sibi connaturaliter debitum, ut patet in appetitu innato gravis in centum; sic autem non est debita homini visio beata, ut patet ex dictis. (Hic art. 1. o.) Intelligimus ergo de appetitu elicitio ex prævia cognitione, non quidem absoluto, & efficaci, iste enim fertur in bonum naturalibus viribus æquabile, qualis non est visio beata, sed conditionato, & inefficaci, si fieri potest, in quantum possibile est: ex tali autem desiderio visionis beatæ, cum absolute loquendo possit frustrari, non potest demonstrative probari ejus possibilitas; sed probabiliter tantum; & moraliter suaderi, in quantum, cum iste appetitus ita sit universalis, ut in omnibus etiam sapientibus, & prudentibus reperitur, non est verisimile illud ita frustrari, ut omnes, & semper fallantur.

In 3. ratione probamus quidem, in intellectu nostro esse capaciatem, seu non repugnantiam ad intuitivam Dei visionem, quia continetur intra objectum adequatum intellectus nostri; at, cum hæc visio sit quòd omnino supernaturalis, non possumus solo lumine naturali cognoscere nullam ex alio capite involvere repugnantiam. Equidem novimus naturaliter, Deum esse omnipotentem, & in communi posse omne, quod non implicat contradictionem. Utrum verò in particulari hic vel ille effectus, præsertim si sit supernaturalis, implicet, nec ne, naturaliter non novimus.

Igitur, supposita veritate hujus mysterii cognita per fidem, solvimus objectiones, & repugnantias, quæ contra ipsum opponuntur, quod est ostendere ipsum non probari impossibile, seu falsum; (quod est enim verum, non potest probari impossibile) Sed an lateat alia repugnantia in ente supernaturali, naturaliter nobis est impervium, siquæ naturaliter non possumus demonstrare positive ipsum esse possibile. Hæc paulò explicitius discussimus in Tract. de Trinitate, & de Incarnatione; ubi quæremus an possibilitas istorum mysteriorum possit naturaliter cognosci.

ARTICULUS IV.

Utrum aliquis in hac vita viderit, possitque videre Deum, ut est in se?

Dico 1. Homo purus de lege ordinaria non potest in hac mortali vita videre Deum, ut est in se. (Hic art. 11. o.) Dixi 1. de lege, seu potentia Dei ordinaria; quia id fieri posse absolute, immò & factum fuisse, infra demonstrabimus. Dixi 2. Homo purus; quia nemò negat, quin id concessum fuerit homini Deo, hoc est, Christo, qui simul fuit viator, & comprehensor.

Prob. 1. ex Scriptura. Exod. 33. dicitur: *Non videbit me Theol. Billuart. Pars Prima.*

homo, & vivet: ergo. (Ibid. 2. Ratione. Cognitione naturalis hominis viatoris non est nisi rerum sensibilium, seu materialium, seu saltem per species a rebus sensibilibus deductas; atqui tali cognitione Deus non potest videri, ut est in se, cum nec sit materialis aut sensibilis, nec per speciem videatur, ut dicemus: ergo. Prob. Major. 1. Experientia, qua nobis consilii sumus, nos nihil intelligere nisi ad modum rerum corporearum, & materialium. 2. Quia modus cognitionis naturalis debet esse connatus modo naturæ cognoscentis, alias non foret naturalis; atqui anima nostra, quando in hac vita vivimus, habet esse in materia corporali: ergo nihil cognoscit nisi quòd habet formam in materia, hoc est materiale, & sensibile, vel quæ per hujusmodi cognosci possunt.

Confirmatur: Tanto est aliquis magis dispositus ad percipiendam divinam, quanto est magis solutus a corpore: ergo, quando homo mortalem vitam ducit in corpore, non potest videre divinisimam Dei naturam. Patet Ant. a posteriori; sic in somno moderato, & alienationibus a sensibus magis divine revelationes percipiuntur, & prævisiones futurorum. (Ibidem.)

Dico 2. Homo viator, in hac carne vivens, sed sensibus carnis non utrens, per potentiam Dei extraordinariam, & præter communem rerum ordinem potest elevari ad claram ejus essentiam visionem; idque Moysi, & Paulo fuisse concessum, probabile est. (Ibid. ad 2. & 2. q. 174. art. 40. & q. 176. artic. 2. o.) Prima pars est communis, non ita secunda.

Dixi: *Sed sensibus carnis non utrens*: Quia, cum intellectus hominis elevatur ad altissimam essentiam Dei visionem, oportet ut tota mentis intentio illuc advoctetur, ita quòd nihil intelligat aliud ex phantasmatibus, sed totaliter feratur in Deum. (2. q. 175. a. 6.)

Prob. Deus potest miraculose, & supernaturaliter aliquid operari in rebus corporeis, producendo nimirum alios effectus supra modum communem essendi, & operandi: ergo similiter supernaturaliter, & de potentia sua extraordinaria præter communem ordinem, aliquorum mentes in hac carne viventium usque ad visionem suæ essentiae elevare.

Confirmatur. 1. Licet intellectus pro hoc statu dependat a sensibus in sua cognitione, ista tamèn dependencia non est ita ipsi necessaria, ut ab ipsa absolvi non possit de potentia Dei extraordinaria; cum ejusdem sit virtus intrinsecæ in corpore, quam separatus a corpore; in quo statu non dependet a sensibus: ergo.

Confirmatur 2. Anima Christi in hac mortali vita degens habuit hoc privilegium: ergo id absolute non repugnat.

Secunda pars Conclusionis maxime controvertitur inter SS. PP. Stant contra S. Dionysium Coelestem. Hierar. cap. 4. Iran. l. 4. cap. 37. Nazianz. orat. 34. S. Leo germ. de Trans. S. Chrysost. hom. 14. in Joann. S. Greg. l. 18. moral. cap. 37. Cyrillus Alexand. Hilarius, Beda, Prudentius, &c. Tantorum virorum salva reverentia, Antesignanis nostris SS. Aug. & Thomæ, quibus annumerantur Ambrosius, Basilus, & alii, adhaeremus.

Prob. ex Scriptura 1. de Moysè Num. 12. Cum Maria, & Aaron loquuti contra Dominum dicerent: *Nim per solum Moysen loquutus est Dominus: Nomen & similibus nobis loquutus est*. Deus autem volens ostendere, Moysen præ cæteris privilegio singulari suæ visionis esse donatum, dicit eis: *Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses... ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.*

Huic ergo loco cum SS. Aug. & Thoma potissimum insistimus, & non aliis, v. gr. Exod. 33. ubi dicitur, quòd Moyses viderit Deum facie ad faciem, quia scimus hos, & similes passus de Moysè, sicut, & aliis Prophetis, de quibus idem narratur, a Patribus intelligi de quadam eminenti cognitione Dei, & cum ipso familiaritate. Iste verò locus laudatus nusquam sic, aut alio quovis sensu alieno a nostro intelligi potest; nisi enim intelligas de clara visione, jam per ænigmata, & figuras Moyses Deum viderit, adeoque sensum Scripture non salvas, quæ dicit Moysen vidisse Deum, non per ænigmata, & figuras.

2. De S. Paulo. Ipsemet Apostolus 2. ad Cor. 12. de seipso sic ait: *Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio: Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cælum. Et scio hujusmodi hominem, quantam raptus est in paradysum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Hæc ineffabilia, inquit S. Th. (2. 2. q. 75. art. 3. o.) sunt ea, quæ pertinent ad visionem Beatorum, quæ excedit statum viæ, juxta illud Isai. 64. *Oculus non vidit Deum absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Et certè, si S. Paulus non vidisset essentiam divinam, & in ea divina Mystera, Trinitatis, & Incarnationis, sed tantum per fidem cognovisset, potuisset illa eloqui.

Ex his igitur sic argumentor.

Illam, quæ pendet ex libera Dei voluntate, aliunde nobis innotescere non possunt, quam ex sacra Scriptura, per quam divina voluntas nobis manifestatur; atque sacre Scripturæ, ut patet, naturali & literali sensu acceptæ, aperte tradunt Moysen, & Paulum Deum vidisse; idque nullam involvit repugnantiam aut incongruentiam, cum id esse possibile omnes concedant ergo.

Confirmatur ratione congruenti SS. Aug. & Thom. Sicut Moyses fuit primus Doctor Judæorum, ita Paulus fuit primus Doctor Gentium: ergo congruum erat, ut viderent divinam essentiam, mysteriorumque essent testes oculati, quo melius, & solidius illa Judæos, & Gentes docerent? (*Hic art. 11. ad 2.*)

Prob. ex SS. Patribus Aug. Epist. 112. ad Paulinam de videndo Deo c. 13. sic ait: *Deinde potest movere, quomodo jam ipsa Dei substantia videri poterit a quibusdam in hac vita positis, propter illud quod dicitur est ad Moysen: Nemo potest videre faciem meam, & vivere; nisi quia potest humana mens divinitus rapti ex hac vita ad Angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne solvatur: sic enim raptus est, qui audit illic ineffabilia verba, quæ non licet hominibus loqui. Et infra in fine ejusdem capituli: Quod autem dicere institueram, desiderio ejus (Moyses) etiam illud quod petierat fuisse concessum, in libro Numerorum postea demonstratum est. Quid ergo est, quod cum sic fecit exceptum, nisi forte quia illa contemplatione dignum etiam tunc habuit populi sui talem rectorem, & ministrum in tota domo sua fidelem, ut, quemadmodum concupiscerat, videret Deum sicuti est, quæ contemplatio cunctis filiis in fine promittitur.*

Et l. 12. in Genes. ad litt. c. 27. dicit: *Concupiscerat enim (Moyses) ut in Exodo legimus, videre Deum, non utique sicut videtur in montibus, sed in ea substantia, qua Deus est. Nisi tamen concupiscit, & desideratam Dei claritatem Moyses videre meruisset, non in libro Numerorum diceret Deus ad Aaron, & Mariam: Audite verba mea: si fuerit Propheta inter vos Domini, in visione illi cognoscat, & in somnio loquar illi, non ita quomodo famulus meus Moyses in tota domo mea fidelis est: os ad os loquar ad illum in specie, & non per ænigmata, & claritatem Domini videri. Neque hoc secundum substantiam corporis, quæ carnis sensibus presentatur, intelligendum est.*

Respondet ad 1. locum Sylvius, & post ipsum Tourmelius, S. Aug. nihil asserere, sed sub dubio rem proponere; forte inquit, illa contemplatione dignus fuit Moyses, qui loquendi modus non fixam sed dubiam exprimit S. Doctoris mentem.

Sed contra: Debuisse advertere Doctores laudati, aliunde oculatissimi, Tò forte in phrasi Augustini non afficere factum, sed rationem facti. Disserte asserit Augustinus Moysen desiderio videndi Deum fuisse satisfactum, & postea hujus singularis prærogative rationem querens, forte, inquit, quia Moyses erat Rector populi.

Respondet idem ad 2. Augustinum quidem eo loci magis asserit loqui; sed inquit, notum est, quid Augustinus de his libris in Genesim dixerit l. 2. Retract. c. 24. scilicet in eo opere plura quaerit, quam inventa sunt, & eorum, quæ inventa sunt, pauciora firmata; cetera verò ita posita, velut adhuc requirenda sunt: ergo, inferunt, rem penitus, hic non expendit, quam aliis in locis sedulo discussam definiit.

Sed contra, inter illa pauciora firmata merito reponi debet id, de quo agitur. Illud enim debet censeri firmatum, quod probatur ex Scripturis, & adversus oppugnationes munitur. Id autem præstat eo loci Aug. circa visionem intuitivam Dei concessam Moysi. 1. Probat illam ex desiderio Moysi. Exod. 33. Deinde ex verbis Dei ad Aaron, & Mariam, quæ retulimus in probatione Conclusionis. Et quia obijci poterat, neminem posse videre Deum, & vivere: distinguit ibidem duplicem mortem, alteram communem, & veram, quæ posita est in separatione animæ a corpore; alteram specialem, & improprie dictam, quæ consistit in alienatione a sensibus, qualem, inquit, passus est Apostolus in rapto, & alteram dicit sufficere ad visionem Dei intuitivam. Insuper, dato gratis hoc factum non esse firmatum in illo loco, sed inter adhuc requirenda annuerandum, illud postea requisivit, & sedulo discussit, atque juxta sententiam nostram decretorie definiit, nimirum Epist. 112. quam post libros de Genesi scripsit.

S. Augustino Doctorem nostrum subscribere locis citatis in 2. conclusione, in concessio est apud omnes, etiam adversarios.

Solvuntur Objectiones contra secundam partem secundæ Conclusionis.

Objicies 1. Exod. 33. Moysi petenti a Domino, ut ostenderet faciem, & gloriam suam, respondet Dominus: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet.* Et infra: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris:* ergo.

R. quod, cum immediatè post petitionem Moysi Deus subjungat: *ostendam tibi omne bonum*, id est, me ipsum, ut interpretatur Aug. libr. de Genes. citato (quid enim est omne bonum, nisi Deus?) ut concilietur Scriptura, dicendum est, quod per verba argumenti Deus denegaverit suam visionem Moysi pro tunc, & quod ipsi promiserit pro sequenti tempore, cuius promissionis fidem fecit Num. 12.

Instabis 1. Deus dicit: *non videbit me homo, & vivet*, id est, non poterit me videre, & vivere.

R. 1. Cum Aug. utroque loco cit. per illa verba non significari, quod homo debeat absolute communi morte interire, ut possit videre Deum, sed tantum quod non debeat vivere hæc vita sensuali, id est, ut sensibus, quin potius omnino ab illis quasi mortuus abstrahi, ut contingit in rapta vel mentis excessu: *Et ita fit* (concludit S. Doctor ad Paulinam) *ut, & illud verum sit quod dicitur est: nemo potest videre faciem meam, & vivere.* Videatur S. Doctor in utroque loco egregie circa hanc rem discutens. Respondet potest 2. id fuisse dictum secundum legem ordinariam ad sensum 1. conclusionis.

Instabis 2. Joann. 1. dicitur, *lex per Moysen data est gratia, & veritas per Jesum Christum facta est.* Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Quo loco omnes Prophete, & specialiter Moyses, ab hoc visionis privilegio videntur exclusi, quod soli Unigenito concessum est, ut ipse enarraret veritates, quas ipse manifestè videbat: ergo.

R. Per hunc locum nullatenus excludi Moysen a visione Dei quiddam; alias etiam ab ea excluderentur Angeli, & Beati, qui tunc erant in celo, cum hæc scriberet S. Joannes. Nemo enim, vel, sicut habetur græcè, nullus, omnes, & homines, & Angelos excludit. Intelligitur ergo ille locus tantum de visione comprehensiva, seu de visione tanta quantum pollebat Unigenitus, qui longè clarior, & perfectior, quam quilibet sanctus, aut Angelus, aut Moyses vidit divina Mystera, & secreta celestia, quæ nobis enarravit in lege gratiæ: cum ergo dicitur: *Deum nemo vidit unquam*; sensus est, quod nullus, nec etiam Moyses vidit essentiam Dei comprehensivè, aut tam perfecte, quam videret Verbum Domini, quod est in sinu Patris: eodem modo intellige, quod opponitur ex cap. 6. *non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo.*

Instabis 3. Ipsemet Apostolus 1. ad Tim. 6. dicit, quod Deus habet lucem inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: ergo.

R. Hanc auctoritatem, & alias similes, si adferantur, debere intelligi de visione comprehensiva, aut de lege ordinaria, secluso speciali privilegio paucis concessio: alioquin, si iste locus generaliter, & absolute de visione quiddam sumatur, probabit etiam beatos in patria Deum non videre.

Objicies 2. cum Sylvio, & Tourmelio multa ex Augustino, quibus S. Doctor videtur asserere denegatam fuisse Moysi visionem Dei, quam concupiscerat, & neminem posse videre Deum & vivere: ita S. Doct. l. 2. de Trinit. c. 16. Tract. 3. in Joann. n. 17. Epist. 112. ad Paulinam c. 5. q. 150. in Exod. n. 5. & alibi.

R. Quod, cum mens Augustini pro sententia nostra in iis, quæ protulimus in probationibus conclusionis, sit ita aperta. ut nullum patiarum effugium; ut patet ex dictis, neque eam in libris Retract. ullatenus revocaverit; necessario dicendum est, ea, quæ opponuntur, non eo sensu dicta esse ab Augustino, quem ipsi tribunt adversarii: nisi velint ipsum aperte contradictoria etiam in eodem opere, scilicet Epist. 112. docuisse. Dico itaque, quod Aug. dum dicit visionem Dei intuitivam denegatam fuisse Moysi, quandoque loquatur de visione per oculos corporis, quandoque intelligat fuisse denegatam pro tempore, quo petebat Moyses Exod. 33. licet postea fuerit ipsi concessa Numer. 12. Dum verò dicit, neminem posse Deum videre, & vivere, intelligit de vita sensuali, ut ipse se explicat.

Objicies 3. Visio Dei facit hominem beatum; atque neque Paulus, neque Moyses per illas visiones, quas habuerunt, fuerunt beati: ergo. Probat Minor: si tunc fuissent beati, nunquam ad vitam hujus miseriam redissent, sed corpora eorum fuissent per redundantiam ab anima glorificata, sicut erunt in Sanctis post resurrectionem; atque falsum consequens: ergo.

R. D. Majorum: Visio Dei permansens facit hominem beatum, C. Maj. visio transiens, subdistinguo; facit hominem beatum permanentem, & absolute, N. secundum quid, C. & distincta Minori ad sensum Majoris, N. Conseq. Igitur divina essentia videri non potest nisi per lumen gloriæ, quod dupliciter participari potest; uno modo per modum forme immanentis; & sic beatos facit sacros in patria: alio modo per modum ejusdem passionis transiens, sicut dicitur de lumine Prophetia, & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit (idem dic de Moysen) & ideo ex tali visione non fuit sim-

phicè beatus, ut fieret redundantia ad corpus, sed solam secundum quid. (2. 2. q. 175. art. 3. ad 2.)

Objicies 4. Fides, & spes non possunt esse simul cum visione divinæ essentia; atque Paulus, & Moyses in illo statu habuerunt fidem, & spem: ergo.

R. D. fides, & spes quoad actum non possunt esse simul cum visione divinæ essentia; C. Maj. quoad habitum, N. habitus enim, & actus non opponuntur; & stare potest habitualis inclinatio ad unum cum actuali tendentia ad oppositum, ut patet in lapide sursum propulso; idque maxime, quando actus non generat habitum, ut accidit in Moysen, & Paulo: unde ad sensum Majoris distincta Minori, N. Conseq. (*Ibid. ad 3.*)

Replicabis: Unicus actus scientiæ parit habitum oppositum fidei habituali: item, & unicus actus visionis, ut patet in eo, qui cum semel vidit Romam, non potest amplius habere fidem etiam habitalem: ergo similiter actus visionis divinæ essentia in Paulo, & Moysen expulit fidem etiam habitalem.

R. N. Conseq. Disparitas est, quod evidentia habita per actum demonstrationis, aut per visionem actualem, v. gr. Romæ, remanet habitualiter in eo, qui Romam vidit; quia vidit per speciem remanentem. At verò evidentia, quam habuerunt Paulus, & Moyses ex visione divinæ essentia, non remansit in eis habitualiter, sed sub obscura tantum, & caliginosa cognitione rememorativa; tunc quia non viderunt per speciem; tunc quia lumen gloriæ fuit in eis transienter, & per modum passionis communicatum; tunc ex dispensatione divina, quod ille status habitualis evidentia divinatorum Mysteriorum non esset proprius vitoribus.

Urgebis cum Estio, & Sylvio. Si Paulus vidisset Dei essentiam, non fuisset visus metaphora à sensu inferiori, dicendum se audivisse; minus est enim audire quam videre: nec de Deo diceret pluraliter Verba, quia in Deo est tantum unum verbum: ergo.

R. Quod dicit Apostolus audivit pro vidit, quia illa consideratio fuit secundum interiorem actum animæ, in quo idem est auditus, & visus, secundum quod dicitur Num. 12. ore ad os loquar ei, & palam. Iterum, quia percepit intima cognitione secreta de Dei essentia quasi per verba; secreta enim ordinatè per verba communicantur: & ideo dicit bene Apostolus, se audivisse verba. (*In cap. 12. Cor. libr. 2.*)

Addi potest, quod dixerit verba pluraliter, quia licet unicum sit Verbum in Deo, plura tamen mysteria novit in ipso.

Petes, utrum hoc privilegium videndi Deum in hac mortali vita fuerit concessum alicui alteri a Moysen, & Paulo.

R. Pium est existimare, hanc prærogativam Beatissimæ Virginis non fuisse denegatam. (3. p. q. 27. a. 1.) Etenim rationaliter creditur, quod illa, quæ genuit Unigenitum a Patre plenè gratiæ, & veritatis, pro omnibus aliis majora privilegia gratiæ accepit. Quo verò momento id ipsi accidit? ipse scit, qui hæc gratia illam decoravit.

Quantum ad alios, aut Prophetas, aut Sanctos, nihil ex Scriptura constat, & communiter a Patribus, & Theologis illud singulare privilegium ipsis denegatur.

ARTICULUS V.

De Lumine gloriæ.

Duplex distinguitur principium visionis beatificæ; unum se tenens ex parte potentia illam elevans, & perficiens ad hanc visionem, & dicitur lumen gloriæ. Aliud se tenens ex parte objecti illud representans intellectui, & dicitur species. De 1. in hoc articulo. De 2. in sequenti agemus.

§. I. *Utrum intellectus creatus indigeat lumine gloriæ ad videndam Dei essentiam?*

Resolvimus supra, intellectum creatum non posse naturaliter videre Deum; posse autem supernaturaliter adjuvato. Nunc quaerimus de illo supernaturali adjuvato, quod dicitur lumen gloriæ. Et 1. Utrum intellectus eo indigeat ad videndum intuitivè Deum. Quid sit autem istud lumen, dicam §. sequenti.

Dico: Intellectus creatus indiget lumine gloriæ, ad videndum Deum intuitivè (*Hic art. 5.*)

Est de fide decisa in Conc. Viennensi contra Beguardos, & Beguinas, qui contendeant, *Animam non indigere lumine gloriæ, ipsam elevante, ad videndum Deum, & eo beate fruendum:* Nos, inquit Clemens V. *Sacro approbante Concilio, secum istam (Beguardorum, & Beguinarum) cum præmissis erroribus damnamus, & reprobanus omnino.* Refertur Clement. *Ad nostrum tit. 3. de Hæreticis l. 5. c. 3.*

Prob. 1. ratione. Potentia, quæ de se, & intrinsicè est impotens ad aliquem actum, ut eliciat hunc actum, indiget in-

trinsicè elevari, corroborari, & perfici per aliquam virtutem in se receptam; atque intellectus creatus ex dictis art. 2. est de se intrinsicè impotens ad videndum Deum: ergo ad eliciendum hanc visionem indiget elevari, corroborari, & perfici per aliquam virtutem in se receptam. Hæc autem virtus vocatur a Theologis lumen gloriæ, quia aliquo modo se habet ad intellectum respectu visionis beatæ, sicut lumen corporale ad oculum respectu sui objecti. Confer. §. subsequentem.

Prob. 2. Omne, quod elevatur ad aliquam formam excellentem suam naturam, debet ad illam disponi per aliquid, quod excedat suam naturam, & sit ejusdem ordinis cum illa forma; sic, si aer debet accipere formam ignis, oportet quod disponatur aliqua dispositione igni conveniente; atque essentia divina est superioris ordinis ad intellectum creatum, & dum ab illo videtur, ei unitur ut forma intelligibilis: ergo intellectus creatus debet ad illam disponi per aliquam virtutem supernaturalem, quæ dicitur lumen gloriæ. (*Ibid.*) Hæc ratio est affinis præcedenti.

Si dicas, ipsum lumen gloriæ esse etiam aliquam formam supernaturalem, & tamen non requiri aliam formam in intellectu tanquam dispositionem præviā ad illud: ergo non stat ratio D. Thomæ.

R. N. Conseq. Quia ratio D. Thomæ procedit de formis, quæ sunt perfectæ, complete, & principales, ut patet in exemplo, quod adducit de forma ignis in aere; non verò de formis viabilibus, & ad alias ordinatis: ad eas enim non requiritur alia dispositio ejusdem ordinis, alias daretur processus in infinitum, sed sufficit potentia obedientialis passiva. Porro lumen gloriæ est quiddam forma supernaturalis, sed viabilis, & ordinata ad divinam essentiam ut formam intelligibilem, ultimam, & principalem; & ideo ad hanc requiritur dispositio supernaturalis, non ad illud.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Illud, quod est per se lucidum, non indiget alio lumine ut videatur, ut patet in sensibilibus; atque Deus est per se lucidus; est enim ipsa lux intelligibilis: ergo.

R. D. Major. Illud, quod est per se lucidum, non indiget alio lumine ut videatur ex parte sui, sed in quantum est ex se, C. ex parte potentia videntis, quæ cum sit debilis, confortari debeat, N. (*Ibid. ad 1.*)

Instabis: Si Deus videatur per lumen gloriæ creatum, non videbitur immediatè; atque falsum consequens: ergo Prob. Sequela. Lumen gloriæ erit medium per quod videbitur Deus; atque quod videatur per medium, non videtur immediatè: ergo.

R. N. Sequela. Ad probationem, D. Major. Lumen gloriæ erit medium, per quod videbitur Deus tanquam per similitudinem, N. tanquam per virtutem confortantem intellectum ad visionem Dei immediatam, C. & ideo potest dici, quod non sit medium, in quo Deus videatur, sed sub quo videtur; & hoc non tollit immediatam Dei visionem. (*Ibid. ad 2. & ad 5.*)

Objicies 2. Essentia divina supplet vias speciei intelligibilis ergo, & luminis gloriæ.

R. N. Conseq. Disparitas est, quod species se tenet ex parte objecti, & cum Deus sit objectum visionis, nil mirum si per se solum præstat id totum quod ex parte objecti potest desiderari: at verò lumen gloriæ se tenet ex parte potentia illam elevans, & corroborans ut virtus in ea intrinsicè recepta; quod Deo non competit.

Instabis 1. Lumen gloriæ requiritur ut determinet intellectum ad videndum Deum; atque ad id sufficienter determinatur per divinam essentiam, quæ, ut jam dictum est, & dicitur, gerit vias speciei intelligibilis: ergo.

R. D. Maj. Lumen gloriæ requiritur, ut determinet intellectum ad videndum Deum; ut determinet ex parte objecti, N. Maj. Ad id enim fatemur, sufficere essentiam divinam in forma intelligibili: ut determinet ex parte potentia, eam scilicet elevando, & proportionando objecto videndo, C. Id autem essentia divina non facit, ut jam dictum est.

Instabis 2. & subsumes: atque nec lumen gloriæ creatum potest proportionare intellectum Deo videndo: ergo. Prob. quantumvis sit perfectum istud lumen, cum sit finitè virtutis utopora creatum, relinquit semper infinitam distantiam inter intellectum & Deum: ergo.

R. D. Subsumptum: atque lumen gloriæ non potest proportionatum reddere intellectum Deo videndo in ratione entis, C. in ratione potentia, subdistinguo: Non potest reddere intellectum proportionatum Deo videndo infinite, & comprehensivè, C. Deo videndo finitè, & quidditative, N. Quia inter intellectum, & Deum finitè modo videndum, sicut eum vident beati, non est infinita distantia, sed finita, quam tollere potest lumen gloriæ creatum (3. contr. Gent. c. 54.) propter vir-